

portenta, loco, tempore, motu, formâ, duratione diversissima, & in his singulis ac multo pluribus totidem ferè apparentiarum circumstantias &c. connumerare: Me Christe! quantâ sciendarum rerum copiâ obruetur ejus animus, & quanta necessitas imponetur ipsi fatendi, uti Mundi molem ac magnitudinem capere humana mens non potest, ita rerum contemplandarum in Mundo incomprehensibili multitudinem esse incomprehensibilem.

II. Age verò in terram hanc descendamus, vastissimæ molis istius centrum ac universi medium punctulum, non equidem hoc loco cum Sapientissimo Seneca eminus risuri ejus divisiones in imperia regna & provincias, sed admiraturi potius cominus rerum ineffabilem multitudinem, quam hujus puncti anatome nobis detegit, & cujus singulæ quasi atomi novum nobis mundum contemplandum objiciunt. Ut enim jam non dicam de globi terraquei totius dimetienda magnitudine, de situ ejus intra aëris ætherisq; fluidissimam tenuissimamque substantiam nullis licet columnis suffulti, nullo ligamine & vinculo sustentati, de situs hujus immutabilitate, quam binorum terrestrium ad cœlestes polos invariata conversio, & (ut clariùs loquar) invariata cœlestis poli ubique locorum elevatio, testantur &c. quorum genuinas & indubias causas eruere non unius seculi est, nedum unius alteriusve hominis: in admirationem profectò rapere attendentem potest cujusque lapilli aut guttulæ à toto suo revulsorum ad idem spontaneus relapsus, quem *Gravitatem* vulgò, aut *gravium descensum* appellamus, in stuporem verò etiam agere scientiæ ἀνεπιτήδεως cupidum, ejusdem descensus augescens in momenta & in singulari proportione velocitas; maximè cùm alias quasdam ejusdem Elementaris globi partes sua quasi sponte ab ipso recedere observat, quæ *Levium* nomine jam dudum insignitæ sunt, & vicissim tamen ignis, corporis omnium levissimi, vim ingentem